

# THEODOSIANI

LIBRI XVI

CVM CONSTITVTIONIBVS SIRMUNDIANIS

EDIDIT

ADSVMPTO APPARATV P. KRVEGERI

TH. MOMMSEN

VOLVMINIS I PARS PRIOR

PROLEGOMENA

IN BIBLIOTHECA MUSEI HISTORICO-NATURALIS BEROLINENSIS

---

BEROLINI

APVD WEIDMANNOS

MDCCCXCV

## CONSPECTVS PARTIS PRIORIS

	pag.
Conspectus subsidiorum ad Theodosianum adhibitorum . . . . .	VI
Conspectus subsidiorum ad Sirmondianas adhibitorum . . . . .	VIII
<b>PROLEGOMENA IN THEodosIANVM</b>	
Cap. I. Theodosiani origo et usus . . . . .	IX
Rubricæ Edicti Gregoriani Theodosiani Iustiniani	XIII
Breviarii Alariciani præscriptio auctoritas subscriptio . . . . .	XXXI
Cap. II. Theodosiani integri codices . . . . .	XXXVIII
Cap. III. Ex Theodosiano integro excerpta præter Alaricana .	LIX
Cap. IIII. Breviarii integri codices . . . . .	LXV
Cap. V. Additamenta Breviarii sumpta ex Theodosiano integro	LXXXII
Cap. VI. Breviarii exempla breviate et incerta . . . . .	XCIII
I. Libri decurtati . . . . .	XCV
II. Epitomæ . . . . .	C
III. Varia et minora . . . . .	CII
IV. Excerpta ex Breviario . . . . .	CIII
V. Libri latentes vel deperditi . . . . .	CIV
Cap. VII. Theodosiani editiones et apparatus . . . . .	CVII
Cap. VIII. Crisis librorum . . . . .	CXIX
Cap. VIII. Orthographia librorum et compendia . . . . .	CXLII
Cap. X. Constitutionum auctores et acceptores et dies locique	CLIII
I. Imperatores . . . . .	CLX
II. Constitutionum acceptores . . . . .	CLXII
III. Tempora et loci . . . . .	CCIX
<b>DE VSV BREVIARII ALARICIANI FORENSI ET SCHOLASTICO PER HISPANIAM GALLIAM ITALIAM REGIONESQVE VICINAS adiecto indice locorum ex Breviario adhibitorum scripsit <i>Alfredus de Wretschko</i> . . . . .</b>	
	<b>CCCVII</b>
<b>PROLEGOMENA IN CONSTITVTIONES SIRMONTIANAS . . . . .</b>	
	<b>CCCLXXVIII</b>

Opus Theodosiani edendi a THEODORO MOMMSEN  
consilio et auctoritate Academiae Litterarum Regiae Borus-  
sicae anno 1898 susceptum atque continuo labore matura-  
tum paene absolutum erat, cum vir summus kalendis  
Novembribus anni 1903 e vita excessit. Prolegomena inde  
a pagina CLXXXV amici, quibus hoc munus Mommseni  
voluntate delatum erat, typis mandanda curaverunt.

CAPVT TERTIVM.  
EX THEODOSIANO INTEGRO EXCERPTA  
PRAETER ALARICIANA.

Composuimus hoc capite quae habemus excerpta ex Theodosiano integro praeter ea quae servavit Epitome Alariciana cum auctariis suis, de quibus capite quinto seorsum agetur.

I. Theodosius II nov. 11 quam tollit constitutionem de tutore a matre pupillo petendo, quam interpretatio addit fuisse in Theodosiani corpore, in eo hodie desideratur, nam ficticiam esse quam ad 3, 18, 2 inserit codex *L* ibidem ostendi. Nos adlegationem illam eodem loco posuimus. — Valentiniani III novellae nominatim ex Theodosiano constitutiones duas adlegant, tit. 31 praef. legem Honorii ad Palladium missam, quae cum in nostris libris desideretur, coniectura locum ei 3, 1, 10 adsignavimus, et tit. 34 praef. legem Arcadii et Honorii, nimirum 16, 11, 1. — Anthemius denique nov. 3 laudat constitutionem Th. 10, 8, 3. — Interpretatio Alariciana citans constitutionem ad nov. Theod. 14 'ex libro octavo' aut intellegit legem 8, 18, 4 non receptam in Breviarium aut deperditam aliam. Eadem ad nov. Theod. 22 adlegat constitutionem 4, 6, 7 et ipsam a Breviario alienam. Praeterea ad Maioriani nov. 7 laudat legem Theodosiano corpori insertam 'de collegiatis', sed in eo titulo 14, 7 ei laudationi constitutio nulla recte respondet. — Praetermitto constitutiones sub solo imperatoris nomine adlegatas in Novellis, ut Theodosianam 4, 14, 1 in Valentiniani Nov. 26, 3 et 34, 13. *Novellae posttheod.*

II. Corporis scriptorum gromaticorum (de cuius origine et ordinatione egi in editionis Lachmannianae vol. 2 p. 143 seq. et in annalibus Rhenanis vol. 96 p. 272 seq.) pars antiquissima, quae videtur composita esse in urbe Roma saec. V per officiales vicarii urbis, repraesentatur autem libris *AB* Lachmanni, excerpta nulla habet ex Theodosiano et fortasse eum tempore praecedit. Comparent ea apud gromaticos primum in libris E(rfurtensi) P(alatino) G(udiano), cuius formae archetypum ascendere potest item ad saeculum quintum; compositum esse ante Iustinianum inde videtur effici, quod recentiores demum eiusdem formae libri *PG* exhibent excerpta ex Iustiniani digestis. Theodosiana servata in libris *EPG* inscripta 'ex corpore Theodosiani secundo libro titulo de finium regundorum' (ed. Lachm. p. 267—270), quatenus perveniunt plena sunt et emendata neque inferiora iis quae servarunt libri Theodosiani integri. *Gromatici*

III. Byzantios auctores Iustiniano antiquiores vel aequales excerpta ex Theodosiano *Byzantia* vix ulla servavisse supra p. XXXI adnotavi.

IV. Iustinianus codex quas habet constitutiones imperatorias emissas per temporis spatia Theodosiano comprehensa, id est inde a Constantino a. 312/3 ad Theodosium II a. 437, Tribonianus cum suis praeter quattuor Constantinianas derivatas ex Hermogeniano<sup>1)</sup> omnes sumpsit ex Theodosiano; certe ullam a Iustinianis adsumptam esse aliunde nullo

<sup>1)</sup> Eae sunt Constantini et Licinii constitutiones quattuor cod. Iust. 3, 1, 8 — 6, 1, 3 — 7, 16, 41 — 7, 22, 3, quas ex Hermogeniano sumptas esse alibi (in eph. Herma vol. 17 p. 532) ostendi. Contra prudentes Iustiniani neque ea sylloge usi sunt, ex qua qui Vaticana fragmenta composuit Constantinianas leges aliquot traxit, neque Hermogeniani editione aucta, unde Consultationis auctor rescripta quaedam Valentiniani et Valentis attulit.

indicio proditur. Ex his eas, quae non repertae in Theodosiano nostro fuerunt in pleno in libris hodie mutilis quinque prioribus et extremo octavo, in hac editione repetere nolimus, sed admisimus eas in laterculos nostros tam dignitatum quam chronologicum. Constitutiones servatas in utroque corpore passim invicem sese emendant et ut ubi libri in Iustiniano variant Theodosianum testimonium litem dirimere solet, ita, licet rarius, Theodosiani corruptelis Iustiniana lectio aliquoties subvenit. Quapropter ad Theodosianas constitutiones Iustinianae et adlegatae sunt et variae lectionis in apparatu ratio habita, cum delectu tamen. Nam in corpore Iustiniano cum multi loci consulto mutati sint — composuit mutationes eas diligenter E. Grupe (*Zeitschrift der Savigny-Stiftung, röm. Abh.* vol. 14 [1893] p. 224 seq.; vol. 15 [1894] p. 327 seq.) — eas mutationes ex apparatu remotas iuxta textum adscripsimus; sunt enim omnino notabiles et commodum erit utrumque textum plenius quam adhuc factum est simul sub oculis habere. Reliquae autem Iustiniani corporis lectiones variae ibi, ubi Iustiniani libri ita variant, ut pars eorum cum Theodosiano faciat et per hunc ipsum plerumque constet de lectione archetypi Iustiniani, in hanc corporis vetustioris recensionem non admissae sunt nisi ex certis causis per exceptionem. Contra ubi Iustiniana lectio primitiva ita differt a Theodosiana, ut de mutatione consulto facta cogitari nequeat, illam ibi, ubi Theodosiana lectio certo mendosa visa est, in textum recepi; praeterea eam aut in margine posui, id quod ibi fere praetuli, ubi parem cum Theodosiana auctoritatem habere videretur, aut apparatu nostro inserui, id quod in minoribus fere factum est. Subscriptiones in Iustiniano praeter Veronensem librum aut servatae sunt corruptae et mutilae (id quod cadit potissimum in epitomatorum *PL* et in Haliandrinis) aut plane deficiunt itaque Theodosianas in universum melius traditas raro explent vel emendant; quapropter eas Theodosianis apposui delectu habito. Apparatum Iustinianum desumpsi ex egregia editione Kruegeriana vocabulo *Iust.* praeposito, retentis notis iisdem, quarum laterculum propterea tabula nostra subministrat praefationi praemissa.

*Leges Germ.* V. Leges pleraeque nationum Germanicarum ad Theodosiani recensionem non perveniunt. Quaestiones implicatae et controversae, unde adsciverint antiquiores earum Salica Ribuariorum Alamannorum capita quaedam cum religione Christiana coniuncta, praesertim de manumissione in ecclesia (cf. lex Ribuariorum c. 58) et de nuptiis incestis (cf. lex Alamannorum c. 39), ad ius Romanum pertinent, non ad Theodosii codicem. Lex Baiuvariorum ut uno certe loco (1, 1, 12) constitutionem a. 420 ad verbum reddit, ea est et in Theodosiano tam integro (16, 2, 44) quam breviato et in Iustiniano (1, 3, 19) et ex hoc potius quam ex illo in legem eam translata est (cf. Merkel in praef. MG. LL. III p. 214). Praeterea, ut quae de legibus his dicenda sunt uno loco complectamur, recentiores earum brevium Alaricianum adhibuerunt, fortasse Langobardicae<sup>1)</sup>, certo additamenta ad legem Salicam c. 13, ubi quae leguntur de matrimoniis vetitis, veniunt ex interpretatione Alaricianae (Loening *Geschichte des Kirchenrechts* 2, 552). Sed haec similiaque per se memorabilia non faciunt ad constituendum textum ne interpretationis quidem Alaricianae aliunde satis stabilitum. — Idem dicemus de formulis chartisque praesertim Gallicis; habent quaedam sumpta ex constitutionibus in brevium receptis et magis etiam ex earum interpretationibus (id quod de formulis Turonensibus demonstravit Zeumer MG. formulae 1 p. 130), sed nusquam inde adlata vidi, quae ascendunt ad Theodosianum integrum. — Itaque reliquis huius generis documentis praetermissis attendemus ad solas leges Visigothicas antiquiores et Burgundionum et Theodericianam.

*Lex Visig.* VI. Leges regum Visigothorum Gothi solis destinatae, quae recte ut videtur hodie tribuantur regi Eurico (466—485: vide supra p. XXXVI), quatenus supersunt habent capita quaedam derivata ex iure Romano, etiam ex Theodosiano (Zeumer *neues Archiv* 23 p. 431 seq.). Ad interpretationem Alaricianam Th. 2, 33, 2 etsi c. 285 prope accedit, tamen non inde videntur proficisci quae ibi leguntur, sed tralaticia esse et eius aevi iuris peritis communia (cf. Zeumer l. c. p. 444). E contrario corpus legum editum a Recessuindo (649—672) destinatum tam Gothi quam Romanis aliqua capita habet aperte profecta ex compendio Theodosiani Alariciano, inter quae eminent caput 5, 5, 9 ad verbum descriptum ex Th. 2, 33, 1

<sup>1)</sup> Quaestionem nuper docte tractavit Patetta *archivio giuridico* vol. 47 (1891) p. 8 seq.

adsumpta etiam Aniani interpretatione. Est id inter 'antiqua' corporis Recessuindiani profecta iudice Zeumero ex recensione corporis eius publicata a rege Leovigildo (567—586). Sed eiusmodi excerpta et ipsa rara sunt et certe a Theodosiano integro aliena. Nihilo minus corporis Recessuindiani constitutiones, quae quidem aperte pendeant ex Theodosiano, suo quamque loco adlegavi.

VII. Lex Burgundionum Germanica, scilicet *liber constitutionum* regum Burgundionum *Lex Burg.* (adhibui editionem, quam curavit Lud. Rud. de Salis, MG. legg. nat. tom. II pars I) sive lex Gundobada, confecta auctave sub regibus Gundobado († 516) et Sigismundo († 523), praeter dubia quaedam (Th. 2, 30, 1 = Burg. 105; Th. 4, 4, 1 = Burg. 43, 1; Th. 4, 11, 2 = Burg. 40, 2) continet iam in parte vetustiore locos quosdam omnino ad codicem Theodosii respicientes (Th. 3, 8, 2 = Burg. 24, 1, 2; Th. 3, 16, 1 = Burg. 34, 3, 4; Th. 4, 11, 1 = Burg. 40, 1; Th. 9, 24, 1 = Burg. 12, 5). — Altera lex Burgundionum, a Gundobado illo in prioris legis exordio civibus Romanis in Burgundia degentibus promissa (praef. 8: *inter Romanos . . . Romanis legibus praecipimus iudicari, qui formam et expositionem legum conscriptam qualiter iudicent, se noverint accepturos*) et in ordine titulorum Gundobadae aptata pendet ex iisdem libris legum et iuris, quibus usi sunt iuris prudentes ab Alarico adhibiti, scilicet ex codicibus tribus Gregoriano Hermogeniano Theodosiano cum Novellis huic adiunctis, Gai institutionibus, sententiis Pauli, quae volumina per ea tempora Occidentis prudentes peraeque praecipue usurparunt. — Burgundionum reges ut probabile est leges tam Germanis quam Romanis civibus suis condidisse ante editam Alaricianam (a. 506), ita certum eos in iis componendis usos esse Theodosiano integro, quem in lege Romana quomodo adlegent supra p. XII exposui. Adhibitum esse breviarium Alaricianum conditum aut eodem fere tempore aut fortasse posteriore egregie refutavit Haenelius (praef. brev. p. XCIII seq.), nec magis mihi probatur nuperi editoris opinatio (p. 12) tam interpretationem Visigothicam quam Burgundionum legem Romanam derivatas esse ex eodem nescio quo iuris compendio. Hoc solum verum est scholas iuris, quibus utriusque populi prudentes sua debent, easdem fuisse et ita interdum, raro tamen aliquam similitudinem in commentariis illis apparere. Exempli causa capiti legis Gundobadae 24, 1, 2 similitudo aliqua intercedit ut cum textu Th. 3, 8, 2, ita etiam cum interpretatione; item in lege Romana similia habent loci a me adlati de feriis ad Th. 2, 8, 19, de secundis nuptiis ad 8, 13, 4, de accusationibus ad 9, 1, 14. Habent item iuris interpretes Germanici quaedam sibi propria et inter se communia, ut, ubi in constitutione est *actis inserere*, ponunt *gestis allegare* (ad Th. 3, 5, 1), item *consciorum* vocabulum in criminibus pro legitimo usurpant (ad Th. 9, 5, 1). Sed rara haec sunt neque desunt apud eosdem auctores contraria, ut recte observavit Zeumer (*Zeitschrift der Savigny-Stiftung, germ. Abh.* 9, 24 seq.) Falcidiam de parte heredi proximo reservanda abusive usurpari apud solos Burgundiones, nequaquam apud Visigothos. Omnino reprehendendus est nuperus legum Burgundionum editor in commentariis suis interpretationem Alaricianam magis respiciens quam constitutiones ipsas.

VIII. Edicti Theoderici regis Italiae († 526), quod ex codice Pitheoano hodie deperdito post alios edidit Bluhmius (MG. LL. 5 p. 145 seq.), auctor quamquam Theodosianum nusquam adlegat, pleraque inde mutuatus est et passim usus constitutionibus in breviarium non receptis (8, 12, 8 — 9, 27, 2 — 9, 42, 2 — 9, 42, 24 — 9, 45, 1 — 9, 45, 3 — 9, 45, 5 — 10, 10, 4 — 11, 8, 1 — 11, 8, 3 — 11, 30, 22 — 11, 30, 49 — 12, 6, 18 — Iust. 5, 9, 1 — Iust. 6, 1, 4 — Iust. 6, 56, 4). Una cum integro codice etiam epitomen Visigothicam adsumptam esse quamquam temporum rationes fortasse admittunt, parum verisimile est (v. Dahn *Könige der Germanen* 4, 8 seq.; Bluhme l. c. p. 145), quamquam quibusdam locis (2, 13, 1 — 3, 16, 1 — 5, 3, 1 — 9, 24, 1 — 9, 24, 3) interpretatio et edictum ad verbum paene concordant. Ad constitutiones eas, quas constat edicti scriptorem ante oculos habuisse, capita Theodericiana adscripsi, quamquam ad crisin ea vix ullam utilitatem praebent verbis libere redditis et subinde mutatis.

IX. Maximini dissertatio contra Ambrosium continens narrationem de concilio Aquileiae a. 381 habito et de Ulfila episcopo, quam ex codice Parisino antiquissimo Lat. n. 8907 (= suppl. Lat. 594) primus edidit Georgius Waitz (*über das Leben und die Lehre des Ulfila* Gottingae 1840), nuper expletam et diligentissime recognitam Fridericus Kauffmann (*Texte und Untersuchungen zur altgermanischen Religionsgeschichte* vol. I Strassburg

*Edict. Theoderici*

*Maximinus de concil. Aquil.*

1899), in loco adiecto ad finem ab antiquissimo interpolatore (cod. f. 349, apud Kauffmannum p. 57. 77 cf. p. XXIV) habet constitutiones duas Th. 16, 4, 2 — 16, 4, 1, quas sump-  
tas esse ex corpore nostro vel inde apparet, quod secunda, quae in Theodosiano bis refer-  
tur 16, 1, 4 plena et 16, 4, 1 imperfecta, hic item legitur decurtata.

*Corpora eccl.* X. Corpora ecclesiastica cum constitutiones ex breviario Alariciano passim afferant, maxime, ut infra ostendetur, breviarii librum XVI adhibuerint auctum ex Theodosiano integro, constitutiones inde extra breviarii nexum haustas perraro proponunt. Mihi tales non innotuerunt nisi ex una sylloge Quesnelliana (= cod. Paris. 3848 A saec. VIII et alii; Maassen *Quellen* p. 326. 486 seq.), a qua pendet altera Colbertina (= cod. Paris. 1455 saec. X, Maassen *Quellen* p. 326. 536) pendetque item (ut observavit M. Conrat *neues Archiv* 24. 351) Hincmarus Remensis (opp. 1, 336. 337). In illis scilicet post acta concilii Calchedonensis leguntur constitutiones quattuor Th. 16, 1, 2 — 16, 4, 2 — 16, 5, 6 — 16, 5, 62. Sylloge Quesnelliana videtur composita esse ipso saec. V fortasse in Gallia. Contulit ad constitutiones eas libros Parisinos 3848 A et 1455 a me rogatus amicus Girard.

*Concil. Hisp.* XI. Concilii Hispanensis habiti a. 619 (Mansi vol. 10 p. 557) canon 2, quem attulit  
a. 619 Savigny (*Gesch. des röm. Rechts* 2<sup>a</sup> p. 278), ita conceptus: *discussio agitata est propter parochiam basilicae . . . quia inter utrasque partes hactenus limitis actio vindicata (v. l. venti-  
lata) est, cuius quamvis vetusta retentio nullum iuris praeiudicium afferret . . . prolatis cano-  
nibus synodalia decreta perfecta sunt . . . placuit inter alternas partes inspectionis viros mittendos, ita ut sit in dioecesi possidentis, si tamen basilicam veteribus signis limes prae-  
fixus monstraverit ecclesiae, cuius est iusta retentio, aeternum dominium. Quod si et limes legitimus eundem in basilicam non concludet et tamen longi temporis probatur obiecta prae-  
scriptio, appellatio repetentis episcopi non valebit, quia illi tricennalis obiectio silentium ponit, hoc enim et saecularium principum edicta praecipiant et praesulum Romanorum decrevit auctoritas*, num veniat ex Theodosiano, ambigua quaestio est. Nam *saecularium princi-  
pum edicta* cum videantur respicere ad legem Iust. 3, 39, 6 nec facile adaptentur constitu-  
tionis eius formae Theodosianae (2, 26, 5), quae praecedunt verba *veteribus signis limes* petita sunt ex altera Th. 2, 26, 4 neque in Breviarium recepta neque in hacce parte in codicem Iustinianum, nobis servata solummodo in corpore gromaticorum. Quaeritur igitur, utrum saeculo septimo incipiente Hispani Theodosianum plenum usurparint an, quod magis crediderim, haec veniant ex decretis synodalibus et pontificum Romanorum antiquioribus in canone laudatis.

*Cod. Phillipps.* XII. Codex Berolinensis Phillippsianus n. 1745 (n. 83 Rose) saec. VII/VIII olim Lug-  
1741 dunensis, qui (cum apographo Paris. 1452) solus syllogem Sirmondianam integram servavit, post eam sub titulo: *lex de Theodosiano sub titulo XXVII de episcopali definitione* duas constitutiones exhibet, quae iam insertae sunt libro I sub eo titulo. Priorem aliunde non habemus, altera, cuius extrema verba in codice desunt hic finiente mutilo, expletur ex codice Iustiniano 1, 4, 8.

*Ep. papae* XIII. Epistula, quam papa Iohannes VIII (871—882) dedit ad regem Germanorum  
*Iohannis VIII* Ludovicum II (856—875), edita ex corpore cardinalis Deus dedit IV, 103 (apud Martinucium p. 417) et minus plene (deficiunt quae [ ] comprehendimus) ex codice Taurinensi E. V. 44 apud Pflugk-Hartung acta pontif. Rom. 2 (1884) p. 34 (notitiam eius debeo Conrato *Quellen* 1 p. 19) haec est.

1. Iohannes episcopus Illudovico imperatori. Inter cetera. [Siquidem 'Ciceronis [*Tusc. 1, 1, 2*] est illa multis experimentis iam probata sententia, quia sicut posteriores principes rem familia-rem sive domesticam melius rexisse probatur et lautius, sic 'nimirum antiquiores Romani pontifices melioribus gubernaverunt et institutis et legibus.
2. 'Hinc quod est] antiqua consuetudo legibus adiuvata semper obti-  
'nuit, ut magistratus honor ultra annale spatium nulli peni-  
'tus largiretur (largiatur *Pflugk*), quo completo legalis (legali  
'*Mart.*) successor admittitur et prior index (videlicet *Pflugk*)  
'quinquaginta diebus intra provinciam remorari (rememorari

Zeno Cod. Iust.  
1, 49, 1. Iulianus  
15, 7 = nov. 8, 9;  
88, 1 = nov. 95, 1

- '*Mart.*) iubetur, donec si qua distraxerat, possessoribus referantur, si qua vero praedia suo nomini comparaverat vel si quas aedes (qua sedi *Mart.*) tempore suae administrationis extorserat (extruxerat *Pfl.*), iuri rei publicae (romani pontificis *Mart.*) vindicentur (uendicetur *Mart.*).
3. ['Hinc est, quod usque ad vestrae serenitatis magistratus annui tam illi in partibus permanserunt quam istis in partibus apud nos hactenus permanere probantur, ut videlicet alternantibus per alterna ducibus temporalia augetur Romani pontificis potius quam perenni magistratibus in ius proprium redigatur.]
4. 'et infra:  
'Nam cum rerum possessio sive in decennium sive in vicennium sive in tricennium, sicut (ut *Mart.*) legislatores asserunt, excludatur vel confirmetur, cerne, piissime [Christoque devotissime] imperator, quantum (quanta *Pflugk*) unicuique discriminis inferre valeat tot annorum praescriptio, dum tyrannicis ducibus magistratus continuus, [quod a saeculis numquam auditum sive lectum reminiscitur] suffragatur.
5. 'praesertim cum in Romanis legibus cautum sit  
'ut id tantum de sacra responsione substantiam mutuetur, quod legum auxilia prosequuntur (persecuntur *Mart.*).
6. 'et iterum:  
'Generale praeceptum beneficio speciali anteferendum est. Th. 1, 1, 4
7. 'et illud:  
'Contra ius rescripta non valeant (valent *Mart.*), quocumque modo fuerint impetrata: quod enim publica iura praescribunt, hoc (*om. Mart.*) magis sequi iudices debent. Th. 1, 2, 2
8. 'et infra:  
'Personalia rescripta, quae cum iure concordant, valeant more veterum et negotii, de quo loquitur nostra rescriptio, finis latae sententiae (sentiae *Mart.*) terminis censeatur, speciale (-les *Mart.*) autem si quid (de *ins. Mart.*) legibus ac iuri portet (importat *Mart.*) iniuriam, abolitum extirpetur (abolitos extirpes *Mart.*).
9. ['Gregorius Ianuario episcopo Calaritano. Imperiali constitutione aperte sancitum est, ut ea, quae contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.] Gregorius ep. 9, 197 ex Iust. 1, 14, 5
10. 'et beatus Gelasius ait:  
'Quis enim aut leges principum aut patrum regulas aut admonitiones modernas dicat (ducat *Mart.*) debere contemni, nisi qui impunitum sibi tantum aestimet transire commissum?
11. 'et iterum:  
'Semper constitutio generat temerata vindictam.
12. 'Vides ergo, fili carissime, quia quod contra leges usquam (*om. Mart.*) agitur (accipitur *Mart.*), per leges dissolvi meretur.
13. ['Item longe inferius:  
'Et iuxta quod Felix sanctissimus praedecessor noster adseverat, in die iudicii talem a nobis ambobus ecclesiam certum est, qualem a patribus accepimus, exigenda.
14. 'Etiam in hac vita se ad eam pertinere cognoscat, qui non solum plenitudo eius noxia conatur inferre, verum etiam qui eidem congruentia dissimulat providere, serenissime imperator (non solum qui n. i. c. u. et. q. congr. pr. diss. *repetit Mart.*), ad



'ecclesiam non pertinere cognoscitur, quanto labore nobis  
'studendum est, ut non solum noxia non inferamus, verum  
'etiam ecclesiae dei providere certemus congruentia.]

Hanc epistolam qui dictavit, adhibuerit necesse est ipsum Theodosianum, quamquam de eius per Italiam usu hoc unicum fortasse testimonium est ex saeculo nono. Praeter Theodosiana certa unde reliqua supra relata veniant non definitio; tam secundum caput (cuius verba neque cum Zenoniana constitutione concordant neque cum Iustinianis) quam quartum et quintum et octavum possunt indidem proficisci. A Breviario certe epistula non pendet.

*Cod. Montisp.  
de salario* XIV. Locum de salario codex Montispessulanus n. 306 saec. IX inter miscellanea plurima, quae enarrat diligenter Goetzius (gloss. Lat. vol. 3 p. XXIV), f. 308 exhibet. In eo libro sub praescripto: *Salarium est debitae mercedis stipendium, quod ex regali munificentia accipiunt qui diversae professionis aut artis studiis mancipantur: dictum autem salarium eo, quod sicuti salis totius sibi conditionem (?), ita sit totius necessitatis et id supplementum. Hinc in iure Romano scriptum est* leguntur Th. 13, 3, 1 — 13, 4, 1 — 12, 2, 1 — 13, 3, 11, ita ut in primis duabus inter inscriptionem et textum inseratur *lib. XIII leg.*, item in quarta ante inscriptionem *lib. XII leg.* Repperit Haenel (apud Hauboldum opusc. vol. 2 p. XC et ad Th. ll. cc.); mihi misit Goetzius descripta a Gundermanno.

*Cod. Vat.* XV. Folium solitarium adservatum inter Danieliana cod. Vat. reg. 520, de quo codice infra dicemus in capite quinto, f. 98' saec. X continet constitutionem 14, 18, 1 *de mendicantibus non invalidis.*

---